



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

Professio Fidei Orthodoxæ Ivxta Decretvm Concilii Tridentini edita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

PROFESSIO FIDEI

OR. HODOXÆ IVXTA

DECRETVM CONCILII

Tridentini edita.



**E**GO N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: C R E D O in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium: & in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vngenum, & ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quæ omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est; crucifixus etiã pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est; & resurrexit tertia die secundum Scripturas; & ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria iudicare vivos & mortuos, cuius regni nõ erit finis: & in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem,

111110



ficantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui  
cum Patre & Filio simul adoratur, & conglori-  
ficatur, qui locutus est per Prophetas: & vnā  
sanctam Catholicam, & Apostolicam Eccle-  
siam. Confiteor vnum Baptisma in remissio-  
nem peccatorum: & expecto resurrectionem  
mortuorum, & vitam venturi sæculi, Amen.  
Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reli-  
quasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes &  
constitutiones firmissimè admitto, & ample-  
ctor. Item sacram Scripturam iuxta eum sen-  
sum, quem tenuit & tenet sancta mater Ec-  
clesia, cuius est iudicare de vero sensu, & in-  
terpretatione sacrarum Scripturarum, admit-  
to, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem  
consensum Patrum, accipiam & interpreta-  
bor. Profiteor quoque septem esse verè & pro-  
priè Sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo,  
Domino nostro, instituta, atque ad salutē hu-  
mani generis, licet non omnia singulis ne-  
cessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem,  
Eucharistiam, Pœnitentiā, Extremam  
Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: il-  
lâque gratiam conferre, & ex his Baptismum,  
Confirmationem, & Ordinem, sine sacrile-  
gio reiterari non posse. Receptos quoque &  
approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in su-  
pradiCTORUM omnium sacramentorum solle-  
mni administratione recipio, & admitto.

Omnia



Omnia & singula, quæ de Peccato originali,  
& de Iustificatione in Sacrosancta Tridenti-  
na Synodo definita & declarata fuerunt, am-  
plector, & recipio. Profiteor pariter in Missa  
offerri Deo verum, proprium, & propiciato-  
rium sacrificium, pro viuis & defunctis, atq;  
in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse  
verè, realiter, & substantialiter corpus, & san-  
guinem, vnà cum anima, & diuinitate Domi-  
ni nostri Iesu Christi, fierique conuersionem  
totius substantiæ panis in corpus, & totius  
substantiæ vini, in sanguinem: quam conuer-  
sionem Catholica Ecclesia Transubstantiatio-  
nem appellat. Fateor etiam sub altera tantum  
specie, totum atque integrum Christum, ve-  
rumque Sacramentum sumi. Constanter te-  
neo Purgatorium esse, Animasque ibi deten-  
tas fideiũ suffragiis iuari. Similiter & San-  
ctos vnà cum Christo regnantes, venerandos  
atque inuocandos esse, eosque orationes Deo  
pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse  
venerandas. Firmissime assero, imagines Chri-  
sti, ac Deiparæ semper virginis, nec non alio-  
rum Sanctorum habendas & retinendas esse,  
atque eis debitum honorem ac venerationem  
impertiendam. Indulgentiarum etiam pote-  
statem, à Christo in Ecclesia relictam fuisse;  
illarumq; vsum Christiano populo maximè  
salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam  
& Apo-

& Apo-



& Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri, Apostolorum principis, successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia à sacris canonibus & œcumenicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, eijcio & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsentibus, sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inuiolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adiuuante) retinere & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

P I A-